













1752.

1. Bruckmann, Dr. Georg: De fideicommissis et jure  
legitima probatioue
2. Schorchus, Hieronymus Fridericus: Utrum conditio,  
qua certa religio in subiecto requiritur pro tempore  
vel honeste sit habenda?
3. Schorch, Hieronymus Fridericus, Facult. juridicæ Secunda  
l. l. c. (ad lect. cursoriam et d. r. in univ. Wilhelmi Antonii  
1753.)
4. Wrede, <sup>(in univ. Frac. jur. decanus: Programm, Johanni Wilhelmi  
Schickardi promissum.)</sup>  
Wrede, <sup>Cons. Wilhelmi, Antonii</sup> Wilhelmi Antonii: De statu hominum.  
1753.

1. Bruckmann, Dr. Georg: De eo, quod iustum est in  
usuceptione circa titulum pro herede, et accessionem  
possessionis.
2. Coith, Frider. Wilhelmus: De exceptionibus rei iudicatae  
executionem impediuntibus.
3. Kemmer, Johannes Fridericus: Triga in aliorum  
forum in causis tum civilibus, tum criminabilibus.

1763

- 4<sup>te</sup> Home, Andreph Christoph: De facultate sibi ipso  
46. per vicari sine iudice.  
Ludolf, Hieronymus: De febris eius epi Domus.  
5. Rumpel, Sigismundus Frider: De usufructuario, fructuum  
Dominus.  
6. Schorch, Hieronymus Fridericus, Facult. juridical Decanus.  
l. b. v. (ad dissertationem in auct. Jo. Friderici Keuneri  
involat).  
7. Schorch, Hieronymus Fridericus, Facult. juridical Decanus  
l. b. v. (ad dissertationem in auct. Joannis Friderici Lats.  
involat)  
8. Schorch, Hieronymus Fridericus l. b. v. (ad Dissertationem  
in auct. Friderici Gustavini Conthii involat)  
9. Schorch, Hieronymus Fridericus l. b. v. (ad Dissertationem  
in auct. Sigismundi Friderici Rumpel involat.  
10. Spitz, Jo. Christophus, Facult. juridical Decanus: - -



ad lect. cur. et Dissertationem inang. Hieronymi  
Briellieri habendam invitata

1754.

1. Henns, Rudolph Christoph: De legitimatione libero-  
rum per subsequens matrimonium.
2. Spitz, Dr. Christoph, Facult. juridicae Decanus l. b. s.  
(ad Dis. inang. Joanni Samuelis Vogeli invitata).
3. Streckerus, Cons. Wilsch: De eo, quod circa jus inquisitionis  
justum est.
4. Streckler, Cons. Wilhelmus: Facult. juridicae Decanus:  
— ad Dissertationem inang., a Joanne Joanne Ferdin-  
Kettenbeil . . . habendam . . . invitata.

1755.

1. Spitz, Dr. Christophorus: De Decano Facultatis juridicae  
. . . lecturi benevole s. p. v. (ad Disputationem inang.  
Joanni Alexandri Bernardi Streckeri invitata).

2 & 3. Streckler, Joannes Alexander Bernardus: De juribus  
clericorum singularibus. 2 Exempl.

1758 <sup>10a</sup> Benthel, Jo. Bapt., l. b. G. de: De materia fidei in jure  
obviente

96 Henne, Rudolph Christoph: De expositione infantum  
ex jure juris naturalis Romani atque Germanici.  
Henne, Rud. Christoph. De tutela l. R. l. principum.

2. Henne, Rudolph Christoph: De eo, quod iustum est  
circa appropriationem territoriorum Germaniae, eorum  
religionem.

3. Rhevenheller, ab Michelberg, Franciscus Antonius, Co-  
mes de: De eligendo Romano rege.

4<sup>a</sup> Schorch, Hieronymus Fridericus, Facult. juridicae  
Decanus l. b. s. (ad Dissertationem in ang. Georgii

Immanuelis Hogelii invitata) <sup>in Ang. Georgii</sup> Dissertationem in ang.  
46 Schorch, Hieronymus Fridericus, Facult. juridicae Decanus  
in Best. de Benthelii invitationem.

5. Schorch, Hieronymus Fridericus, Facult. juridicae Decanus

l. b. s. (ad Dissertationem in ang. Johannem Zachariam  
Schroeteri invitata).



1757.

1. Birckenstock, Faculus Engelbeter: Dissertatio inang.  
juris dicitur ad tit. II. l. b. II. feudorum.
2. Schorch, Hieronymus Fridericus, Facult. juris dicitur ex-de-  
cans l. b. d. (ad dissertationem inang. Facult. Engelberti  
Birckenstocki invitata).

1758.

1. Henne, Rud. Christoph: De cessione bonorum liberis  
a parentibus auctoritate facta.
2. Schorch, Christian Frid. Hermann: De feudis  
censuum.
3. Strecken, Amicus Wschelanus, Fac. jur. de decans:  
Programma, dissertationi inang. Christiani Frid. d. d. ex-  
Hermannis Schorchii praemissum.











DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA

246

DE  
MATERIA FIDEI  
IN  
IVRE OBVENIENTE

QVAM  
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO  
PERILLVSTRI DOMINO

176

JOANNE ARNOLDO  
DE BELLMONT

1756

ICTO, EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIO RE-  
GIMINIS ERFORDIENSIS, IVRIS PVBLICI ET PHILOSOPHIAE PRACTICAE PRO-  
FESSORE PVBLICO ORDINARIO, BIBLIOTHECAE VNIVERSITATIS BOINE-  
BYRGICAE DIRECTORE, ET CIVITATIS CONSVLE  
SENIORE

IN PERANTIQA ELECTORALI GERANA  
DECRETO ET AVCTORITATE  
AMPLISSIMAE FACVLTATIS IVRIDICAE  
PRAESIDE DIVINO NVMINE  
PRO GRADV DOCTORALI

IN VTROQVE IVRE CONSEQVENDO  
PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR ET RESPONDENS  
JO. BAPT. L. B. DE BENTZEL  
INSIGNIVM ECCLESIVM COLLEGIATARVM SS. PETRI ET  
VICTORIS CANONICVS  
IN AVDITORIO IVRIDICO MAIORI  
DIE XXVIII. MAJI M DCC LVI.  
HORIS CONSVETIS.

ERFORDIAE, Litteris HERINGIANIS, ACAD. TYPOGR.





2

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through from the reverse side of the page. The text appears to be organized into several lines or paragraphs, but the specific words and numbers are difficult to discern.







O. A. M. D. G.  
PRŌEMIVM.



Fides, quod sit præstantissimus rerum divinarum atque humanarum nervus, non solum ex eo quod summus Pont. Greg. IX. Quinque libros suos Decretales à fide exorditus fuerit; & Imperator Justinianus Codici suo titulum de fide præmiserit, abunde apparet, sed ex apertissimis idipsum innotescit rerum argumentis; siquidem si fides ut pretiosissima custodiatur gemma homo erga Conditorem suum in debita subsistit recognitione ac obedientia, Imperatorum Regum ac Principum



cipum Throni stant immobiles, cruenta intergentes evitantur bella, ac integrarum regionum devastaciones, fœdera & pacta, sancta manent & illibata, commercia in rebus publicis sunt florentissima, defraudaciones remotissimæ, cessant lites, susurraciones, detractiones, machinationes atque perfidæ insidiationes uno verbo: Omnia in tota universa palæstra eo apparent ordine, ea enitescunt dispositione, qua quævis acies bene ordinata conspicitur: Cum econtra fide exulante omnia susque deque vertantur, nec justitia nec salus, nec prosperitas, nec securitas in regionibus ac provinciis inter Homines reperiantur, sed omnia penitus languescant atque in pessima quæque ruant, si scil. fides viva Societatis Civilis florentis anima omnis justitiæ, omniumque contractuum fœderum pactorum ac commerciorum, unica basis, & omnis amicitia & societatis fortissimum vinculum deficiat, ac perfidia cane pejus & angue evitanda à finibus cujuslibet reipubl. longe removenda, ad labefactandos status pestis mortifera inque eorum ruinam vergens lues ferventissima prædominatur.



tur. Quod supremo legislatori eo minus ferendum cum supremum Dei tribunal omnem perfidiam aversetur, laudabiles Veterum Germanorum mores eam rejiciant & contemnant: Illi enim fidem porrecta dextera admodum religiose coluere, quam sacram sanctamque volentes Romani templum in ejus honorem erexere, quod templum fidei vocatum fuit, & ad quod Numa Pompilius flamines curru arcuato manu ad digitos involuta, solenni pompa vehi jussit, unde usitatae apud eos formulae: en dextera fidesque; hinc impletiones fidei Commissorum quae dum nullo juris tenebantur vinculo, mero illius, qui de illis implendis rogatus fuerat, relinquebantur pudori: Si itaque inter Veteres gentes tanta fuit fidei existimatio, quanta non debet esse inter nos qui Deum perfidiae infestum fidemque erigere praecipientem, illo salvatoris Matth. 15. v. 12. edocti: *Omnia quaecunque volueritis ut faciant vobis homines, eadem facite & Vos ipsis*, adoramus. Ad haec per leges in ff. & Cod. inculcatur, quod fides in omnibus negotiis sancte sit servanda, perfidi infamiae poena,



na. si aliud genus actionis non habeatur, sint efficiendi. Cum itaque de fidei materia scitu sane dignissima, & utilissima in præsentī hac inaugurali dissertatione tractare mihi proposuerim, omnia illuc pertinentia, in quantum temporis ratio permittit, ac dissertationis natura exigit propositurus, & absoluturus ero; Quod ut feliciter succedat, faxit SS. Trinitas Deus trinus & unus.

## §. I.

Quemadmodum per ethymologiam nominis non raro quid res sit eruitur *L. 1. ff. de F. & J. L. 2. §. 2. ff. de Reb. cred. pr. Inst. de V. obl. pr. Inst. de testam.* Hinc etiam eam hic adducere non esse intermittendum duxi. Derivatur autem fides ex eo, ut fiat id, quod licitum promissumve est; siquidem Veteres ad eam designandam, remque ipsam exprimendam in deducendis verborum originibus, laxiores fuisse deprehenduntur, quos & Jctos æmulatos esse ex LL. satis aparet, cum furtum à Furvo aut à fraude vel ferendo §. 2. *Inst. de Obl. quæ ex delict.* tutelam a tuendo testamentum a testatione mentis, derivaverint; *pr. Inst. de testam.* Qua in re licet aliorum tela non effugiant, veruntamen quia rem ipsam cujus potior in jure habenda est ratio, nobis explicant, illas sive derivationes, sive allusiones sint dicendæ, haud rejiciendas esse arbitror: desumitur enim fides à fine,  
ut



ut nimir. ea, de quibus conventum, fiant & vicem pignoris obtineat, ad ea quæ acta, conventa ac promissa sunt consequenda, tantumque præstat, quantum veritas, nisi legis dispositio resistat.

## §. II.

Accipitur autem vel Theologice, vel juridice: Theologi enim Fidem pro ipsa religione sive confessione doctrinæ Christianæ accipiunt; in legibus autem Civilibus fides sumitur pro tuitione, auxilio, Tutela ac securitate publica; vel pro cautione & promissione, ut in fidejussore *L. 8. ff. de fidej.* vel pro auctoritate *L. 24. §. 2. ff. de reb. auct. Jud. poss.* Aliquando etiam pro causâ credulitatis, uti *L. 11. Cod. de præd. min.* vel pro conscientia in materia possessionum acceptatur: quæ tamen usurpationes impropriæ esse censentur, cum proprie fides pro instituti mei ratione dicitur

## §. III.

Quod sit credulitas firma ex duorum vel plurimum placito concepta de iis præstandis, quæ dicta promissive sunt. Dixi notanter imo, quod sit *credulitas seu opinio*, qua credimus illud quod dictum est ita se habere, aut id quod promissum est, nos consecuturos esse. 2do, firma sive justissima, taliter enim ut sit causâ efficiens fidei, ita debet in animo fidentis comparata esse, ut fidens contrarium eo tempore sibi persuaderi ægre patiat, quod Judici ad dicta duorum testium sententiam ferre volenti, maxime est observandum; atque eo ipso excluditur credulitas *simplex*, quæ ex verisimilibus solummodo descendit argumentis



tis; Hæc siquidem tantæ non est efficacia, ut credulitatem inducat firmam, quemadmodum de teste, qui de sola credulitate deponit facile colligere licet; hujus enim dicta non concludunt, nisi causam scientiæ ex proprio suo sensu addere valeat. KÖNIG *ad jus Can. tit. de Testib. n. 51.* 3tio, *duorum vel plurium*, cum enim nemo solus secum agere, sibi que obligari valeat *L. 87. ff. de V. oblig. L. pen. ff. de Arbitr.* ad minimum de re certa eaque licita conventio atque consensus deliberatus, ex quo alter alteri, ut in negotio unilaterali, vel sibi invicem, ut in negotio bilaterali obligantur, requiritur. Quarto, *placito*, & quidem eodem, alias enim si ut in matrimonio error circa personam, in emptione circa rem aut pretium intervenerit, fidei præstatio exigi nequit. *L. 75. ff. de Obl. & Act.* siquidem errantis nullus est consensus. *L. 15. ff. de Jurisdic.* Ut tamen consensus de eodem placito inter præsentibus declaratur, non exigitur nisi in stipulationibus *§. 11. Inst. de inuili stipul.* & autoritate tutoris in negotiis cum pupillo celebrandis LAVTERBACH. *ad ff. in. de Aut. Tut. §. 7.* Sed quoque inter absentes sive Principes sint, sive personæ privatæ, consensus ut validum exinde fidei nascatur vinculum, dari potest.

§. IV.

Ut vero exinde exsurgat obligatio, fides, ut ex consensu procedat libero, necesse est; secus enim nullus contractus suo gaudebit effectu, sed aut nullus, aut rescindendus erit; ea propter & negotium ad quod quis dolo inductus est minime subsistit, & vel maxime si negotium bonæ fidei fuerit, cui dolus causam dedit, per



per quem quis alias non contracturus ad id faciendum, h. e. contrahendum impulsus aut inductus fuit, cuius utique nullitatis datur ratio hæc, quod talis dolus contractum præcedat & causa sit totius contractus; ex quo negotium bonæ fidei nullatenus subsistere potest, cum bona fides & dolus utpote sibi contraria pugnent, estque apud omnes in confesso, quod nulla causa effectum sibi intendat contrarium: sicut itaque contraria se invicem tollunt, ita implicat esse bonæ fidei negotium, ubi origo & causa ex dolo & mala fide descendunt; quæ omnia secus se habent in negotiis stricti juris, in quibus sufficit a consensu cœpisse; in his equidem deceptus agit vel actione doli si nulla alia detur, vel agentem repellit exceptione doli, item in dolo incidente: hic enim contractus a consensu & bona fide initium capit, nec contractum jam ante celebrari inceptum producit, origo autem cujusque rei est inspicienda *L. 4. ff. si mens. fals. mod.* quæ distinctiones communi D. D. sententia receptæ sunt. *STRUV. Exerc. 8. tb. 27. ibique MÜLLER. VMM. disp. 8. tb. 33. in fin. GAIL. L. 2. O. 2. n. 6. CARPZ. p. 2. Const. 34. def. 9. HARTM. pist. p. 1. q. 23. n. 3. STRYCK. us. mod. ff. tit. de dolo mal. §. 5.* Qui ultimo dictus Author cit. loco statuit illas etiam in foro secundum dispositionem juris communis observari, atque in sui partem plures adducit alios in §. 6. addendo: quod si contractus ob dolum sit nullus, ab eo penitus discedere valeat deceptus; quod si vero dolus actione ex contractu sit purgandus, a contractu discedere nequeat, sed si quanti interest deceptum non esse refusum sit, acquiescere teneatur cum *RICHTER. p. 2.*

B

decif.



*decif. 87. n. 18.* Deinde, dolus incidens non impedit quo minus per accedentem traditionem, dominium transferatur *L. 10. C. de rescind. vend.* bene tamen dólus causam dans contractui bonæ fidei, quia quod nullum est, nullum producit effectum; & ut Philosophi ajunt: *non entis nullæ sunt qualitates.* COCCEJ. *jus civ. controvers. tit. de dolo mal. q. 4.* contra LAVTERBACH. *ad ff. dict. tit. §. 6.* inter quos digladiantes ad partes prioris transire, non dubito.

## §. V.

An autem fides non consensu libero data, sed vi aut metu extorta & juramento firmata sit servanda? quæstio est; antequam autem ad eam respondeam, pro certo suppono matrimonia metu inita per *Cap. 15. in fin. X. de Sponsal. manumissio per L. 9. pr. & L. 17. ff. qui & a quib. manumiss.* item dotis promissio *L. 21. §. 3. ff. quod metus causa.* ipso jure esse nulla, cum matrimonia & manumissiones semel legitime factæ, rescindi nequeant, dotis autem promissioni hoc specialiter sit tributum, cum sit accessorium matrimonii *L. 3. ff. de jur. dot.* quibus additur tutoris auctoritas *L. 1. §. 1. ff. de auctor. tut.* Instrumenta si belli tempore vi metuque per hostem sint extorta, itidem testamenta *arg. L. 1. C. de SS. Eccles.* & quia ad ultimas voluntates interdicta restitutoria, uti ad contractus inter vivos non pertinent COCCEJ. *Jus Civ. Controvers. tit. si quis aliquem test. prob. vel coeg. q. fin.* & desuper hi versus ponuntur:

*Tutor, judicium, dos, sacrum, copula, votum,  
Hæc sex vis facta, de jure scias fore nulla;  
Cætera jus patitur, sed postea restituentur.*

## §. VI.



§. VI.

Utrum verò & juramenta illis sint addenda, disputant. LAVTERBACH *ad ff. iii. de jurejur. §. 29.* asserit ea tam sua natura, quam secundum juris Civil. & Can. dispositionem subsistere, modo res licita & quæ a jurante præstari possit promissa fuerit, idque sive metus sive injuria illatus, quo urpheda ab incarcerato de non vindicando carcere ante ejus dimissionem præstanda referri potest, sive cum injuria conjunctus fuerit: v. g. si quis Latroni ad vitam suam salvandam certam pecuniæ summam jurato promiserit, hacratione motus, cum ubicunque sit verus jurantis consensus & res possibilis ac ratione jurantis licita, ita ut absque dispendio æternæ salutis & læsione proximi adimpleri possit, ibi juramenta valida sint & obligatoria, etsi non semper in ordine ad hominem ut illi cui juratum jus exigendi inde quæri possit, attamen propter reverentiam Deo debitam subsistunt. *tot. Tit. ff. C. quod merus cau. & c. 8. 15. 28. X. de jurejurand. C. 2. & 4. X. de his que vi metusoe cau.* jura tamen contra talem juratam promissionem absolutionem atque restitutionem in integrum concedunt, *Auib. Sacramenta C. si advers. Vend.* Quod & praxis Judiciorum observat, *ord. Cam. p. 2. tit. 24. MYNS. Cent. 3. obs. 99. GAIL. L. 1. obs. 25.* Idem quoque esse de fide statuendum asseritur, cum Deus in testem adhibitus fuerit, & juramentum sine peccato servari possit: Nec obstat, quod violentia in jurantem commissa sit, cum ea non obstante voluntas adhuc sit libera, quia jurans id quod minus est elegit, nempe promissionem fidei, ut vitam redimat. Nec obstat 2. Quod



juramentum non debeat esse vinculum iniquitatis, etenim iniquitas se tantum ex parte metum incutientis, non vero ex parte jurantis tenet; cum hic ad vitam servandam in quo nulla continetur iniquitas juramentum pronunciet.

§. VII.

Fides tamen super actu jure civili nullo data, per juramentum non validatur, ob *L. 5. C. de LL. & L. 7. §. 76. ff. de pactis*, quia id quod jure Civil. nullum est, privata auctoritate & juramento corroborari non potest, ne ansa ministreretur subditis in leges delinquendi easque violandi ad *d. Auth. Sacram. puberum in C. si adversus venditorem*. Alii ad telum effugiendum respondent eam restringendam esse ad actus tantum jure validos: Verum, horum responsioni non assentior, cum sit communissima DD. sententia illam Auth. etiam de contractibus nullis & invalidis esse intelligendam. *BVCHH. fol. 1. ad Trev. D. 2. th. 9. l. c.* Alii respondent distinguendo inter actus, qui sunt nulli de jure Civili ob qualitatem personæ, vel aliquam deficientem sollemnitatem, & inter illos qui vitiantur ob qualitatem objecti, quod in se turpitudinem habet, ita ut ejusmodi actus sint contra jus Divinum, naturæ aut Gentium & statuunt hos actus non tantum non con firmari, sed nec juramentum esse servandum, cum per hoc malum aliquod promittatur, cujus transgressio magis placeat Deo, quam observatio. *Nov. 51. Prefat.* in quibus jurare tantum peccatum est, non autem contravenire, & id quod offendit pietatem sive contra bonos mores canonicos pugnat, nec jurantem liget, nec



nec actum confirmet *Caus. 22. q. 3. § 4. tot. tit. X. de jure jurando.* Illos vero qui solummodo ob defectum alicujus essentialis requisiti aut solemnitatis, vel ob solam personæ conditionem invalidi reputantur. v. g. si Minor sine Curatore aut decreto Judicis contraxerit aut alienaverit; si mulier intercessit, confirmari assentunt: ast, nec hanc distinctionem approbandam esse cenfeo, sed simpliciter cum aliis nullum negotium si-ve jure Civili tantum, si-ve jure naturæ invalidum per juramentum confirmari arbitror, cum hoc nullibi in LL. inveniatur, & dicta Auth. *sacramenta puber.* tantum dicat juramenta esse servanda, de confirmatione vero negotiorum nec syllabam proferat, taleque juramentum non cadat in ipsum actum, sed in promissionem non contraveniendi juramento, quod utique licitum est: Nec obstat juxta JOACHIM. *jus Civ. Controvers. L. 3. C. 2.* quod iste qui juramentum servat, contractum simul adimpleat; etenim illa adimpletio non fit sub vinculo justitiæ, aut vi contractus, sed sub vinculo religionis, per quod conscientia jurantis ad juramentum implendum adstringitur: præsertim si sponte juraverit, alias enim si metu extortum, absolutio, & quidem quo ad forum externum a potestate sæculari peti potest, cum hæc sit preparatoria illius quæ a verbi divini Ministro peragitur.

§. VIII.

Fides respectu ad aliud habito, varie dividitur: est enim ratione causæ efficientis vel bona vel mala; Ratione materiæ, vel publica vel privata; ratione diver-  
silitatis causæ efficientis vel expressæ. &c.



## §. IX.

Bona fides *juxta L. 3 §. fin. ff. pro Socio* est opinio contra fraudi & dolo, quæ exigit ut, quod convenit, fiat: *L. 21. ff. de locat.* Mala vero fides est intentio fraudulosa in alterius defraudationem concepta, vi cujus extrinsece aliud simulat, ac interne fovet: hinc in jure alius bona, alius mala fide agere & possidere dicitur: Multis hæc minus placet divitio, eo quod qualitas accidentalis ipsam cui accedit, non mutet substantiam: Verum, hæc adeo attendenda non sunt; neque etiam obest quod fides dici non possit, ubi non fit quod actum est; etenim nomen fidei non meretur ab eo quod est, sed ab eo quod videri vult; actus enim quo ostentatur se ad instar fidei habet, igitur fides quia re inspecta nulla, immo dolus & fraus est, adeo, ut etiam doli definitio eidem competat quæ est in *L. 1. §. 2. ff. de dolo malo*, mala dicitur.

## §. X.

Omnis itaque fides aut bona aut mala erit, cum medium non detur; siquidem nec bonum malum, nec malum bonum esse potest: bono quidem melius, malo pejus datur; nunquam tamen quod malum est, bonum erit: Et dubitans ante possessionem rei acceptæ, vel ante contractum ad malæ fidei possessorem referendus est, cum in dubio operari non liceat. BERGER. *Oecon. juris L. 2. tit. 2. ib. 21. n. 2.* Is vero qui postea dubitare incipit speculative tantum, absque sufficiente fundamento, ita ut extremum pensitando magis in bonam fidem inclinet, bonæ fidei possessoribus annumeratur. STRYK. *in differ. de*



de foro consci. c. 6. n. 173. & seqq. Econtra autem dubitans practice, adeo, ut rationes eum illuc moveant, ut credat antecessorem suum Dominum non fuisse, ad malæ fidei possessores refertur. BRVNEM. ad Inst. exercit. 8. tit. de usucap. pr. n. 12. Quod tamen de eo qui ex errore facti alieni acquirit non statuendum L. 14. ff. de publ. action. L. 36. de usucap. L. fin. ff. pro emptore cum error facti sit probabilis, nec in compendiis noceat. L. 7. & 8. C. de juris & facti ignorant. nisi foret affectatus, supinus cumque culpa conjunctus L. 6. & L. penult. §. 5. ff. d. 1. Error juris quoque bonæ fidei non obstat, licet usucapionis effectum impediatur L. 31. ff. de usurpat. & usucap. siquidem suum petentibus non noceat L. 7. ff. de juris & facti ignor. LAV-  
TERBACH. ad ff. de condict. indeb. §. 22.

## §. XI.

Ratione materiæ ut dictum, fides est vel publica vel privata. Publica autem vel religiosa vel profana. Illa primum composita Passavii 1552. deinde August. Vind. 1555. stabilita; cui religionis dissidia perniciose Imperio Romano causam dedere: siquidem licet integris à Fide catholica deficientibus provinciis, gloriosissimus Imperator Carolus V. edictum Spirense (contra quod dum protestarentur, nomen exinde Protestantium traxere) 1529. promulgaverit; bella in Smalcaldicos Confederatos Anno 1547. moverit; nihilominus ad Concilium generale dictam transactionem admittente, ratihabere ac confirmare debuerit; antea enim varia religionis conciliandæ remedia tentata fuerant.

in



In recessu Spirensi 1526. Concilium generale liberum esse instituendum proponebatur, sed modo de loco, modo de directione, modo de aliis tales incidebant quæstiones & controversiæ, quæ negotium tam salutare remorabantur. Status primum pro rei gerendæ loco civitates Metensem, Coloniensem, Moguntinam & Argentinam aut alium commodum in Germania locum denominabant; Rec. Imp. 1529. §. 1. Imperatori vero cum Catholicis Statibus Civitatem Tridentinam, uti ex recessu Spirensi de an. 1542. §. 128. patet, designabat: Rationes vero hujus electi loci in Comitibus Augustanis 1548. §. 7. referuntur. Ad hæc salvis Eis conductus promittebatur; verum his omnibus commoveri non poterant, ut a protestatione desuper interposita v. R. I. 1542. §. 129. discederent, causas hujus *CARPZ. ad L. Reg. C. 3. sect 7. n. 8. & seqq.* representare videtur, cum dicit: quod et si antiquissima declarandi articulos fidei ratio sit Auctoritas Conciliorum, eandem tamen hoc tempore cessare, eo quod Pontifex liberos in Conciliis censes non admittat, imo major conciliorum decretis haberi velit, atque Imperatorii muneris sit convocare concilia, non Pontificii, cum Concilium Francofurtense & Moguntinum à Carolo Magno, ut & alia à Ludovico & Lothario Imp. esse convocata, nota testetur historia.

§. XII.

Verum, ad recusandum concilium generale sufficere non videntur rationes prædictæ, siquidem jus Ecclesiasticum in quantum præcipue ad sacra & potestatem eorum internam spectat, quid separatim est a  
Ma-



Majestate, nec definitio Religionis, sed defensio Regibus & Principibus competit, quod divina oracula asserunt. *Es. c. 49. & 60. August. tract. 2. in Jo. Lips. lib. 4. pil. c. 2.* Atque etiam indicare videntur verba *Cap. Leopold. §. 1. summum Pontificem & Christianam Ecclesiam in bona protectione conservabimus:* „& si fides seu religio a superioritate territoriali dependeret, quid de Democratia, quid de principe Ethnico dicendum? certe subditi supremæ potestati sæculari religionem reformanti, nisi quatenus instrumento pacis aliter conventum, in reformatione obedire tenerentur; insuper Salvator noster Regnum suum spirituale haud mundano imperii subsidio instituere voluit, & decreta prima Concilii *Actor. C. 15.* antequam ulla summi Imperii confirmatio accederet, vim legis Ecclesiasticæ habuerunt: adeoque summo Pontifici convocatio concilii, præsidiumque in eo denegari nequit, quod etiam satis indicant *Recessus Norimbergensis de anno 1524. §. 28. Recessus Spirensis de anno 1529. §. 1. Recessus Ratisbonensis de anno 1532. Art. 1.* Atque cum selectis fundamentis defendit GREG. THOLOS. *In sintagm. Jur. lib. 15. C. 3. n. 6.* quod concilium generale absque auctoritate Pontificis congregari nequeat, cum hic solus in Ecclesiasticos Antistites habeat imperium, illos per censuras ad comparendum compellere possit, quæ omnia se in Imperatore secus habent; adeoque hujus consensus in eum tantum finem requiritur, ne convolutionem impediatur, ut saluum conductum præstet, atque definita in Conciliis potestate sæculari defendat, & eo modo prima etiam concilia generalia convocata esse



esse statuit LAURENT. BEYRLING. *in theatro vitæ hum. tom. 2. verbo: Concilium pag. 332.* Sed quoniam hæ rationes non admittebantur, hinc non solum præfatum concilium, sed alii religionis conciliandæ in *comitis spir. 1544. §. 79. & seqq. & in Comitibus Worm. de anno 1545.* propositi modi felici successu caruere, & Imperator licet abunde penetraverit quod unitas fidei sit animorum & Regionum vinculum, atque ista fatali discordia in partes scissa Regna & Imperia protinus in rimas & ruinas fatiscent; ad majora mala evitanda necessitatus fuit imprimis sæpe dictam pacem Religiosam inire & quia expositi novi nascebantur motus, & cum ex una parte unio, sex altera liga inibat, bellum Bohemicum & Danicum sequebatur, ac Gallus & Suecus hisce rebus sese immiscebant, ita ut ob hæc & Ferdinandinum de bonis Ecclesiæ restituendis anno 1629. promulgatum edictum Germania misere vexata fuerit, HORN. *Jus publ. prud. C. 10. §. 3.* & PFANN. *hisor. P. IV. L. 1.* tandem prioris pacis religiosæ confirmatoriam pacem Westphalicam anno 1648. non obstante summi Pontificis dissensu, eum aliter malo mederi non posset, inire e re Imperii & veteris Ecclesiæ esse existimavit.

### §. XIII.

In hac cum Gallo Monasterii, cum Sueco autem Osnabrugi sancita pace, inter alia fidei Catholicæ additi Protestantes ac Reformati eo sunt uniti, ut in ea possessione bonorum Ecclesiasticorum immediatorum & mediatorum manerent, atque ed eam restituerentur, in qua 1. Jan. 1624. extiterunt: Cassatis omnibus con-



contra illam observantiam initis pactis, transactionibus & Latis sententiis, nisi quod *Art. 5. §. 33.* instrumento pacis Osnabrugæ novem illa monasteria in Episcopatu Hildesienfi sita, secundum illam 1643. inter Duces Brunsvico Luneburgenfes, & Episcopum Hildesiensem initam conventionem Catholicis reservarentur: *Qui annus normalis*, cum ab illo non nisi mutuo consensu recedere liceat etiam adhuc hodie in definiendis controversiis attenditur, ita ut in eo exercitio quod in quacunque dicti anni parte habuerit, defendatur, & nullibi exceptio detur, nisi in locis per *pacem Rysvicensem juxta §. 4.* a Rege Galliæ anno 1697 Imperatori & Statibus extra Alsatiam restitutis; contra quem status dissentientes protestati fuerunt, in his enim status Religionis pro norma attenditur, qui eo tempore fuit quo hæc pax inibatur, si tamen Princeps post pacem Westphalicam territorium acquirat, is quidem statum fidei, in eo quo accipit, relinquere debet; verumtamen si ipse diversæ sit fidei, hujus exercitium in Aula sua habere, Concionatores aulicos, atque alias personas Ecclesiasticas secum ducere, & aliis id suo sumptu concedere potest. *HORN. prud. jur. C. 60. §. 6.* Quod etiam Con-Domino ad diversæ fidei castra transeunti non est denegandum, licet publicum eidem denegari velit *GRASS. Consil. rub. Tom. 16. Conf. 9.* quod vero Princeps A. C. subditis suis Catholicis, qui in anno decretorio publicum ac quietum suæ Religionis exercitium habuerunt, præcipere possit, ut Protestantium dies festivos cum iis celebrent, & ab omnibus laboribus externe abstineant, sed non vice



verſa, uti ſtatuit BOEHMER. *Conſult. & decif. Eccleſ. reſp. 18. n. 18. & ſeqq.* Hoc tanquam aſſertum contra instrumentum pacis Osnabrugeniſis *Art. 5.* non videtur admittendum.

## §. XIV.

Fides publica profana tranquillitatem ac felicitatem temporalem concernit, quorſum ea colimant, quæ in Comitibus, recessibus Imperii, Aurea bulla, Capitulationibus Cæſariis atque instrumentis pacis præfertim illius, quam Imperator Maximil. I. Wormatiæ anno 1495. cum ſtatibus imperii pro bono Civium ſanxit de controverſiis inter Status Imperii impoſterum non amplius bilo ſed ſtilo finiendis, quem in finem etiam ſuprema Imperatoris ac Imperii Dicasteria erecta ſunt. Huc etiam ſœdera ſive pacta ſollennia, quæ à Veteribus manuum implicatione fiebant, noſtris autem temporibus aut juramento aut obſidibus corroborantur, referri poſſunt; Item Confraternitates Principum, quales erant olim inter Duces Saxonie & Comites Hennebergeniſes anno 1554. initæ, & anno 1583. in favorem Ducum Saxonie ad effectum delatæ; Item Landgravium Hæſſie inter & Comitem Carzenellenbogen, Electores Brandenburgeniſes & Duces Pomeranie, Saxones ac Huſſos: Quæ extra dubium in Imperii proſperitatem tendunt, ſiquidem reipubl. intereſt ne ſucceſſor incertus ſit, cum alioquin Principe ſine denominatione ſucceſſoris decedente regnum unoquoque ejus vires ad ſe trahere gnaviter laborante facile in diverſas abripiatur partes, in aliam transfundatur formam, cujus non rara reperiri datur exempla.

Ut



Ut tamen ejusmodi inter Status Imperii nostri erectæ confraternitates ab Imperatore confirmantur, necesse est. WEHNER. *obs. pract. Voce: Erbeinigung*, cum pluribus aliis ibidem allegatis, & videre licet ex *instrumento pacis Osnabrugensis A. 4. §. 10.* Ubi ejusmodi pacta inter Electorem Heidelbergensem & Domum Neuburgicam ab Imperatore confirmata sunt, sicut etiam pactum Saxo-Hennebergense anno 1555. a Carolo V. confirmatum est, & hæc de publica fide sufficiant.

§. XV.

Fides privata appellatur ea, quæ de rebus privatis interponitur, eaque vel ex jure Gentium, aut jure Civili descendit, atque in contractibus vel nomen vel causam habentibus, actionem aut nomini, aut præscriptis verbis convenientem producit; exceptionem autem fides parit, quæ in nuda conventionione subsistit ac quiescit; veluti in nudo pacto quod cum proprio nomine & causa careat, ad producendam actionem jure civili non est approbatum *L. 7. prin. §. 4. ff. de pactis. L. 15. ff. de præscript. verbo.* quod nec Jure Can. mutatum est, LAUTERBACH. *ad ff. rit. de pact. §. 66. FACH. L. 2. Controv. 100.* Nec obstat *cap. 1. §. 3. X. de pactis*, ubi Summus Pont. vult, ut pacta serventur, etenim & jus Civile hoc statuit, nec tamen exinde actionem concedit, cum quo jus Can. convenire dicendum est, cum jura in dubio concordare censentur *per Cap. 1. X. de novi oper. nunci.* ex moribus tamen Germaniæ continuo observatis pacta serio & deliberate inita obligant ita, ut Civilis exinde nascatur actio, quæ *condictio ex moribus* dicitur, STRYK. *de Cautelis Contract. Sect. I.*





6. 4. §. 5. Adeoque hodierno jure inter pacta nuda atque vestita qualia sunt ea, quæ in continenti in contractu adjiciuntur, & legitima speciali lege confirmata, uti donatio, dotis promissio, pactum usurarum in mutuo civitatis, frumenti, nautici scœnoris nulla intercedit differentia,

## §. XVI.

Fides quoque ratione causæ efficientis est vel vera, vel ficta; Illa aut expressa aut tacita: Expressa est quæ ex vero & expresso partium oritur consensu: Tacita autem ex facto aliquo fluit ac eruitur utpotè si Creditor debitori suo chirographum reddat, per bonam consequentiam fidem de debito non petendo dedisse censetur *L. 2. §. 1. ff. de pactis L. 3. §. 1. ff. de liberr. legat. L. 44. §. 5. § L. 84. §. 7. ff. de leg.*

## §. XVII.

Quod si tamen duo super eodem debito apud Creditorem existant chirographa, & hic retento uno, alterum debitori reddat, debitum quoque esse remissum non assero, cum alia hic intrat præsumptio, quod nempe Creditor non velit videri velle bis petere, & se retento uno ad exigendum debitum satis securum esse existimet, licet contrarium defendant *LAVTERB. ad ff. tit. de pact. §. 6. § Coccej. Jur. prud. cir. contro. d. 1. q. 4.* Cum ratio quod alioquin, nisi operaretur liberationem debiti, nihil actum esset, juxta mox allata non subsistat, nec in *L. 2. §. 1. ff. de pact.* fundetur. Sicut etiam debitor ex eo solo, quod chirographum exhibat, absque probatione restitutionis a Creditore factæ pro liberato non habetur, *L. 24. ff. de prob. l. 14. § 15.*



15. *C. de solution.* ANT. FABER in *Cod. L. 8. tit. 29. definit. 1. n. 1.* licet etiam cancellatum sit, cum penes debitorem id possidentem stet, velintne cancellare aut non: fecus autem statuendum foret, si illud apud Creditorem bene custoditum, ac laceratum inveniretur, LAVTERBACH. ad *ff. tit. de solut. §. 35.* ubi & hoc statuit, quod possessio chirographi pro debitore, si sit integræ existimationis, aut aliæ concurrant circumstantiæ, magnam faciat præsumptionem, ut vel onus probandi in Creditorem transferatur, aut debitori juramentum suppletorium deferri possit, cum MEVIO *part. 2. decis. 242. n. 2.* item CARPZ. *part. 2. C. 29. definit. 12.* Pignore autem reddito non ipsum debitum principale, sed tantum jus pignoris remissum esse censetur *per L. 9. C. de remiss. pign. § L. 6. §. fin. ff. de præcario* PERETZ. in *C. de Pactis n. 2.* plures casus tacitæ fidei inveniuntur in *L. 4. pri. § §§. seqq. ff. de pact. in L. 8. ff. quemad servit. amitt. L. 3. Cod. in quib. caus. pign. tacite contra: L. 13. L. 17. §. 1. ff. § 5. Cod. de usur.*

§. XVIII.

Ficta vero fides est, quam lex ex aliquo facto præsumit aut fingit, licet desuper nullus inter eos tractatus qui ex ficta fide stringuntur, intercesserit, cujus exempla plurima occurrunt in *tit. instit. de Obligat. quas quasi ex contract. nasc.* Item in dote ad quam soluto matrimonio restituendam uxor actione ex stipulatu agit, licet tempore dotis constitutæ inter eam & maritum nulla stipulatio intercesserit ZOES. ad *ff. tit. solut. matrim. n. 3.*

§. XIX.



## §. XIX.

Omnes communionem juris naturalis habentes, fidem dare & accipere possunt, neque enim ad fidei summam refert qualis sit vel dans, vel recipiens eam, sed tantummodo naturalis ad agendum aptitudo consideratur: Hinc & Princeps fidem tam suam, quam antecessorum suorum in conventionione datam servare tenetur, cum ejusmodi fides ex jure naturali aut gentium obliget, cui Principem subjacere extra dubium est: deinde etiam turpe esset principi fidem contrahendo semel datam fallere, cum in eo ceu fonte justitiæ voluntas & verba debeant esse firmissima, illeque velut lapis angularis immobilis esse atque unam linguam & unum calamum habere debeat, dicendo: *Quod scripsi, scripsi, quod feci, feci* C. 2. X. de re judic. BESOLD. de veterib. C. 3. n. 5. GAILL. lib. 2. Observ. 15. n. 4. ALTHVS. C. 25. n. 29. Etenim licet Princeps sit supra jus Civile, non tamen major est jure Gentium & naturæ; vigore autem hujus ad fidei observantiam irrefragabiliter est adstrictus, cum in conventionibus proportio arithmetica observetur, & Principi tanquam debitori justitiæ non aliud nisi quod justum est, placet, ac omnes suos actus secundum justitiam fori & poli regulare præsumitur, solutus equidem est lege legis, non tamen conventionione, cum Deus ipsi subjecerit leges, sed non conventiones. ALEXANDER Conf. 1. Vol. 2. n. 2. GRAVETT. Conf. 241. & certo si Princeps ad fidem in contractibus datam non obligaretur, deterioris quam quisque Pauper conditionis esset, cum nemo ex metu dissolvendi contractûs cum eo contrahere vellet, fieretque  
 sic



fic omnium exul, qui est omnium præful, & ficuti ad suam, ita ad Antecessorum suorum fidem servandam tenetur, cum illorum fides moderni Principis fides esse existimetur, eadem semper est respublica nunquam moriens. BALD. *conf.* 326. CARPZ. *p. 2. constit.* 29. *def.* 21. *n.* 7. Et si princeps levi de causa fidem anteriorum frangat, certe etiam illius successor, acta ejus invertere parum curabit *Can. justitiæ 15. caus.* 25. *q.* 1. *Can. 4. dict. caus.* 25. *q.* 2. BESOLD. *conf.* 113. *n.* 8. REVSNER *L. 3. conf.* 22. *n.* 19. WESENBEC. *conf.* 11. *n.* 14. & ea destruens, quæ Prædecessores statuerunt, non constructor, sed everfor nuncupari debet. MENOCH. *L. 1. conf.* 228. BVXTORF. *ad Auream Bullam conf.* 37. *lit. e.* ex quo ulterius fluit

## §. XX.

Quod non tantum Cives inter se, fidem observare debeant, sed ea & hosti sit servanda; grave siquidem est fidem fallere. *L. 1. pr. ff. de constit. pec. L. 1. §. 4. ff. de poss.* ob naturalem, quæ illam dicitur, servandam rationem. *C. noli 23. q. 1. L. 21. ff. de neg. gest.* Quin turpissimum, cum ex duplici oriatur virtute, fidelitate nim. & justitia, CARPZ. *p. 4. c. 33. def.* 11.

## §. XXI.

Hinc & Prædoni datur actio, si spoliū pignori dederit. *L. 22. §. 2. ff. de pignor. act.* cum & illi non minus atque cuique alii jus suum tribui debeat, pacta conventa servanda, atque fides data custodienda, uti etiam indignis & malis *Jos. 9.* cujus illustre exemplum refertur de Augusto Cæsare, qui decies seferuntium edicto promiserat iis, qui Carocottam latronem in Hispania Ducem ad se adduceret; Carocotta re in-

D

telle-



tellecta se ipsum Augusto sponte obtulit, atque præmium ex edicto poposcit, Augustus & veniam, & promissum præmium eidem dari iussit, ne aut mercede promissa vitam eripuisse, aut publicam violasse securitatem videretur adversus eum, qui seipsum iudicio stiterat. Plura ejusmodi quod hosti fides servanda sit, refert exempla REINKIN *de regim. Sacul. & Eccles. lib. 2. Class. 1. C. 2. 16. & seqq.* atque illud ex *judic. C. 4. obftans argumentum quod Jahel contra securitatem & fidem datam Sisaram dormientem interfecerit, plane singulare, adeoque ad consequentiam non trahendum, sed potius regulæ divino & humano jure comprobata, quod fidem fallere sit grave, insistendum statuit; reliqua autem argumenta à FACHIN. lib. 9. controvers. C. 58. sunt resoluta.*

## §. XXII.

Eadem ex ratione atque suadente sic & urgente publica totius orbis salute servandam esse fidem Infidelibus, Tyranno, rebeli, piratæ, Latroni refert FRANCISC. SCHMIER *jur. Can. lib. 1. tract. 1. C. 2. Sect. 2. n. 133. & seqq.* SCHMALTZGRUBER *ad decretales Gregorii IX. lib. 5. tit. 7. n. 160. & seqq.* REIFENSTVEL *ad jus Can. lib. 5. tit. 7. n. 316. & seqq.* ubi negant quod respectu Hussii a Concilio Constantiensi contra fidem datam sit peccatum. REINKIN *de regim. sacul. & Eccles. lib. 2. class. 1. c. 2. n. 32.* distinguit inter pacem politicam & Ecclesiasticam, illam servandam esse affirmat, hanc negat, quoniam securitatem promittere quoquo modo disputandi & docendi contra expressum verbum Dei salva veritate subsistere nequit, illi enim erudiendi, qui obstitunt veritati 2 *ad Tim. 2. vers. 25.*

## §. XXIII.



## §. XXIII.

Judæis quoque, quos juxta A. B. C. 9. & ord. politic. de anno 1348. statibus Imperii recipere concessum, fides est servanda, nec sub fide publica in protectionem recepti motu proprio rursus ejici possunt, modo secundum leges in lege divina, sive Imperii constitutionibus fundatas, quiescere vivant, nisi ob certas graves causas aut crimina, puta blasphemiam &c. sic etenim conditione, sub qua recepti sunt, cessante expelli queunt, cum in his circumstantiis non tam recipiens, quam eorum perversitas & malitia eos expellat: Ulterius & fides cum Persis, Barbaris, Turcis & Ethnicis iniri potest, ac servanda est, cujus exempla de domo Austriaca, de Venetis, ordinibus belgicis & aliis nota refert historia, ita tamen ut solum negotia & commercia pro objecto habeat, & caute in ea procedatur, ne Religioni aut Reipublicæ ex ea damnum succrescat, cum vix firma fides inter illos sit speranda, inter quos animorum conjunctio ac morum similitudo exulat. *Vid. ERTL. de jurib. Princip. Exercit. 24.*

## §. XXIV.

Quibusdam tamen personis vel pro se, vel pro aliis fidem dare est prohibitum, sic capitulum sede vacante fidem dare nequit de iis, quæ jure speciali vel ex privilegio, commissione, velut sedis Apostolicæ Legato Episcopo comperunt, adeoque eidem dispensandi in casibus Episcopo specialiter commissis, convocandi concilium provinciale, visitandi monasteria Monialium exempta, procedendi contra Religiosos exemptos facultas merito denegatur, quod vero etiam non admittatur ad electionem Regis Romanorum, uti statuit GRENECK. *ad jus*



*Can. lib. 3. t. 9. q. 4.* mihi non admissibile, nec casum exiturum videtur. Quoniam si Imperium vacare contigerit, Capitulum Ecclesiæ Archi-Episcopalis in Archi-Episcopo eligendo nec minimam moram necet, ut hic, aut Electorale Collegium ad eligendum Regem Romanorum convocare, aut electioni ejusdem interesse valeat.

## §. XXV.

Prælati quoque solus absque capituli consensu fidem dare nequit in negotiis majoribus, quæ interesse aut præjudicium Ecclesiæ successoris aut capituli concernunt, quales casus plurimi referuntur a PICHLER *ad jus Can. tit. de his quæ sunt à Prælati sine consensu capituli. n. 3.* Ita etiam singuli capitulares in negotiis totum capitulum concernentibus, fidem dare non possunt, sed, ut capitulum sit legitime congregatum, atque ad minimum per majora conclusum necesse est. Plures tamen dantur casus, ubi nec majora concludunt, quos recenset REIFENSTUEL *d. t. n. 24.* & SCHMALTZGRUBER *n. 22.* Præterea Pupillus in iis causis, ubi conditio ejus deterior fieri potest absque tutoris auctoritate, fidem dare nequit, adeo, ut si contrafecerit in causis civilibus, licet sit pubertati proximus nec civiliter nec naturaliter obligetur, & juxta L. 127. ff. de V. O. tantum in præjudicium tertii, non autem in proprium suum ullo modo est obligatus; de minore 25. annis, nisi obligatio & subjective & objective in ejus persona terminetur, idem dicendum est, nisi Curatorem non habeat, nam sic contrahens & læsus restitutionem in integrum petit, quibus etiam annumerandæ sunt fœminæ ac milites, ut pro aliis fidem dare nequeant. L. 2. § 101. *sit.*



iii. ff. ad SCtum Vellej. § L. 8. §. 1. nisi illæ ignorantes suorum beneficiorum muliebrium certioratæ fuerint, cum earum favori introducto renunciare valeant *L. pen. C. de pact. L. 40. ff. de condic. indeb.* Illam autem ex solo Notariorum instrumento probare periculosum est, quia hi sæpe ex imperitia & ex consuetudine magis ejusmodi clausulam renunciatoriam suis inserunt instrumentis, & ut adimpleatur, negligunt, adeoque ut de ea aliunde constet, tutius est, ut autem hoc præcise in judicio fiat, non requiritur, cum etiam extrajudicialiter certiorari valeat; in Saxonia vero ut fiat cum Curatore, nisi sit juramento firmata, exigunt. Et hæc de personis, ut prodigos, furiosos & mente captos summe ebrios præteream, sufficiant.

§. XXVI.

Campus objecti materiæ fidei cum sit ampliffimus, quædam saltem pro instituti ratione attingere sufficiens erit; ac imprimis versatur fides circa omnes res licitas, siue sint corporales, siue incorporales, modo sint in commercio, aut esse possint, nec alienari prohibita, ut & facta honesta quæ per rerum naturam, aut per leges aut bonos mores fieri possunt, sic Deo per transactionem fides dari potest, de ipso criminis capitalis non accusando *L. 18. C. de transact.* cum reo ignoscendum, quod sanguinem quocunque modo redimere voluerit, & Magistratui ut ex officio in delictum inquirere possit, non præjudicatur, excipitur tamen crimen adulterii, cujus varia adducit rationes *FACHIN. Lib. I. Controv. C. 8.* De hereditate nobis delata atque acquisita quoque fides eam vendendo, permutando ac donando dari potest: an autem id quoque de hereditate viventis





adhuc deferenda fieri possit, negant regulariter leges civiles, sive de ea aut conservanda aut repudianda agatur. *L. 61. ff. de V. O. L. 4. C. de inutil. stipul. L. 34. C. de transf. ZOES. ad ff. tit. de pact. n. 22. & seqq.* Adeo, ut nec naturalis inde nascatur obligatio, nec juramento aut stipulatione pœnali confirmetur *ob L. 60. ff. de V. O. GAIL. lib. 2. obs. 125.* cum sit contra ultimam voluntatem, adeoque liberrimæ ejus mutationi non obstit. *RICHTER Vol. 2. Consil. 419 n. 113.* jure tamen Canonico, aut moribus Germaniæ nostræ aliter observatur, hinc pacta successoria præsertim juramento confirmata pacifcentes stringunt, pactiones enim de hereditate viventis in itæ tantum bonis moribus civilibus repugnant, non naturalibus, consuetudo vero cum jus civile tollere possit *L. 32. §. 1. ff. de LL. merito etiam mores jure civili improbatos legitimare valebit KOHL. de pact. dotal. p. 2. n. 70. FABER. in Cod. tit. de pact. convent. def. 6. STRYK. de success. ab intest. diss. 8. C. 1.*

## §. XXVII.

Si itaque casus successione hodie in foro occurrit, ante omnia illuc respiciendum, an non adsint pacta familia, pacta dotalia, aliæve hujus generis conventiones circa successionem in itæ, quibus deficientibus deinde aut testamentariæ aut intestatæ locus erit successioni, quod de jure Romano non obtinebat, nisi inter milites per *L. 19. C. de pact.* Quibus sic pacifici concessum, ob instans mortis periculum, quod pro patria sustinent.

## §. XXVIII.

Illustre successione pactionis sicut exemplum, unio prolium in Germania nostra longo jam tempore usitata, atque per ordinationem Moguntinam normata, quæ autem testamento fieri nequit; etenim si solennia in hoc pacto requisita adhibeantur, testamentum cujus contextus actu hoc inter medio interrumpitur, vitiat, unione nihilominus salva manente



nente & liberi non ex testamento sed ex pacto, succedunt *TREVL. V. 1. def. 2. thes. 11. litt. D.* aut solemnia omittuntur & testamentum iuste perficitur, tunc liberi ex testamento succedunt non ex pacto, quod forma sua non observata nullum est: forma autem quam ordinatio Moguntina diligentissime expressit est, ut

§. XXIX.

Primo, consensus addit non tantum Parentum uniendorum, sed proximorum quoque, cognatorum ab utraque parte liberorum uniendorum *RICK. C. 6. n. 8. 19. & seqq. GILKEN de præscript. p. 3. C. 3. n. 77.* Item tutorum & Curatorum *BRVNEM. ad L. 35. C. de transact.* adeo ut horum absentiam nec Magistratus suppleat, cum hic duarum personarum vires sustinere nequeat, *NICOL. PETS de pact. fam. Illust. C. 7. pag. 286. in fin.* Et denique liberorum uniendorum si hi puberes sint. *BESOLD. ad jus provinc. Württemberg disp. 3. §. 86.*

§. XXX.

Secundo, ut fiat coram magistratu ordinariam jurisdictionem habente *STAVCH. dissert. 4. apbor. 23.* & consultius est ut quoque sit competens. *STRYK. usus modern. ff. iii. de adoptionibus §. 12.*

§. XXXI.

Quoniam Tertia causæ cognitio intervenire debet, num unio liberis expediat, aut turpis successionis captatio ac liberorum defraudatio intendatur. *HAHN de jur. rer. Con. 73. n. 8. MEISCHN. Vol. 4. decis. Camer. C. n. 30.*

§. XXXII.

Et quarto, decreto Magistratus approbetur & confirmetur *KLOCK. tom. 3. Consil. 160. n. 23* & denique Quinto, ut in Archivum publicum referatur *WEHNER. observat. pract. hac voce:* si ergo una ex his solemnitatibus sit omissa, unio ob non servatam formam pro nulla habetur, *GAIL. lib. 2. observ. 125. n. 8.* Nisi illi in quorum paciscentium favorem requisita fuit, non impugnent, sed eidem acquieverint eamque approbaverint. *KLOCK. tom. 3. Consil. 160. n. 26.* Nam quæ introducta sunt in favorem alicujus, hanc conditionem habent: si ille voluerit. *BRVNEM. ad L. 30. C. de transact.* §.



## .S. XXXIII.

Formale requisitum fidei est, ut ita observetur, quemadmodum aut substantialia aut naturalia, aut accidentalia negotii exigunt: sic in mutuo res accepta in genere, in commodato in specie restituitur: in mutuo debitor casum fortuitum, in commodato culpam levissimam præstat, vi cuius obligationis hic est adstrictus ut instante periculo interitus, rem commodatam suæ præferat. *L. 5. §. 4. ff. de commod.* Et si suas pretiosiores prætulit, commodanti exinde ob res ejus postpositas satisfacere tenetur: Nec si commodatas prætulit, id quod idcirco de suo amisit, a commodante petere potest, cum lex dicta eum ad præferendas res commodatas absque distinctione adstringat, atque durissimum foret, si commodans, qui nullam ex re commodata habuit utilitatem & unice in gratiam commodatarii dedit, huic pretium ejus, quod ob conservationem amisit, refundere deberet. *COCCIJ. Jur. Civ. controvers. tit. commod. q. 9.* ubi in fine addit sententiam Lauterbachii contrariam & juris & rationis fundamento destitui: in pignore Creditor ad rem oppignoratam extincto debito cum fructibus restituendam obligatur, siquidem tantum securitatis gratia est tradita Creditori, nisi pactum antichreseos intervernerit, quod in fructibus certis, quales sunt civiles, ultra legitimum usurarum modum non valet. *BERGER. Oecon. Jur. L. 3. T. 2. T. 15. n. 4.* in fructibus autem incertis ille modus quidem non tam exacte observatur: nimius tamen excessus in sortem principalem est imputandus *Weynber. p. 7. obs. 15.* excipiuntur etiam a prædicta regula bona, quæ status Imperii sibi invicem pignoris jure ante hominis memoriam obligarunt; hæc enim si reluantur, fructus inde percepti non restituntur, quia restituens interea temporis quo possedit Dominus utilis, reluens autem Dominus directus fuisse dicitur in instrumento Pacis Westph. art. 5. §. 27. Dominus vero utilis, fructus perceptos non restituit.

Equidem adhuc plurima de fidei objecto tam materiali, quam formali ejusque fine, effectu atque contrariis adduci possent, quoniam vero temporis angustia calumiam sistere jubet, hinc pro hac vice de fide, esto

F I N I S.



POSITIONES  
EX JURE NATURAE.

1. *Nulla facultas moralis, alteri mala inferendi, sine praevia turbatione concipitur.*
2. *Occupatio sola est iustus modus acquirendi dominium originarius.*
3. *Jus dispensandi, atque leges abrogandi, societati civili imperanti competit.*
4. *Illi, quem alter aggreditur armis, competit jus defensionis.*

EX JURE CANONICO.

1. *Electus ante confirmationem nil potest administrare, nisi quod consensu Papae, privilegio, consuetudine, permissum, vel si sit a Papa confirmandus.*
2. *Delegatus a summo Pontifice, non ab inferiore, subdelegare potest.*
3. *Juramentum, quod salva salute aeterna, teneri potest, servandum est, modo non sit circa illicita. Non ce dat in praedictum tertii.*
4. *Ad sponsalia dissolvenda per religiosam professionem non requiritur consensus partis alterius.*
5. *Restrictio mentalis in juramento non valet & est damnanda.*
6. *Cum dubio practico praescriptio nequit continuari, bene vero cum speculativo, non solum continuari sed & inchoari potest.*
7. *Matrimonium a duobus in aliena diocesi contractum, in qua non viget Tridentini constitutio de praesentia parochi & duorum testium in matrimonio contrahendo, sicut in propria, habetur pro clandestino & invalido, si praecise ob hanc rationem eo migrent.*
8. *Summus Pontifex ante coronationem potest Episcopos confirmare & conferre beneficia sibi reservata.*
9. *Clericus non potest reconveniri coram iudice laico.*
10. *Matrimonium ratum obstat alii postea consumato.*

EX JURE PUBLICO.

1. *Archi-Episcopus & Electoratus Moguntinus sub duplici etiam qualitate considerati insignes praeter alios habent praerogativas.*
2. *Imperator antecessoris sui expectativus de feudo regali ratihabere debet si cum consensu statuum facta.*
3. *Jus reformandi constanter pro regula; annus autem decretorius 1624 non secundum nudum habitum, sed actum possessionis ejusque mensuram pro exceptione statuendus.*
4. *Vicarii imperii non possunt tempore interregni convocare comitia universalia.*
5. *In privatis negotiis status utuntur juribus privatorum.*

)

EX



### EX JURE CIVILI.

1. Clausula codicillaris non sanat defectus circa voluntatem aut habilitatem testatoris etiam clericus, imò nec heredis absolute loquendo, sed tantum illos qui sunt circa solemnia.
2. Literæ cambiales etsi saltem genericè loquendo habeant paratam executionem aliaque privilegia, effectum tamen prelationis in concursu creditorum minime producant.
3. Concursus creditorum non à momento physico, quo bona debitoris ipsa creditoribus insufficientia sunt, sed ab eo quo edictalis citatio emissæ est, legale capit initium.
4. Si mandavius, cui mandans rem dedit pro determinata pecunie summa pignoriandam ultra mandatum plus sumat, illud mandans, si pignus redimere velit, creditori solvere tenetur.
5. Scriptura non est essentialè requisitum actorum.
6. Confirmatio hypothecæ in scio debitore ad solas creditoris preces à iudice facta nulla est.
7. Testamenta conjugum reciproca sunt irrevocabilia, & non secundum Lege Romanas, sed secundum instituta Germanorum Lege, jura consuetudines judicari & demensurari debent.
8. Compensatio locum habet non obstante juramento prestito quod velit solvere.

### EX JURE FEVDALI.

1. Prelatus nequit absque capituli consensu in feudum concedere res ecclesie in feudum dari non solitas.
2. Minor non potest novum feudum etiam curatoris consensu constituere.
3. Filius familias feudum à Patre accipere nequit.
4. Ecclesie non amittit feudum ob feloniam Prelati.

### EX JURE CRIMINALI.

1. Tortura, si inquisitus in ea semel ritè examinatus, absque novis indiciiis repeti nequit.
2. Fur sine casu rupto viuis è patibulo decedens iterato suspendi potest.
3. Qui mandat aliquem vulnerari, sed expresse prohibet ne occidat, de cæde subsecuta tenetur.
4. Ex vulnere occisi præsentè occisore sanguinem fluere est falsum & nullum, si forsan talis fluxus contigerit, ad torturam indicium

\* \* \*



Sequuntur Nomina D. D. gratulantium secundum ordinem Alphabeticum.

**F**reund! den der Tugend Glanz, so wie die Weisheit zieret,  
Nimm hin den Wunsch, den Zärtlichkeit Dir reicher:  
Ein Glück umgänze Dich, das wahre Freunde rühret  
Die Ehre webt Dir jetzt das Feyer-Kleid,  
Hier wo der Themis hohe Gottheit mächtig thronet,  
Hier wird Dein Fleiß mit gutem Recht belohnet.  
Da, wo ein Chor gelehrter Männer Dich umgibet,  
Da prangst Du hoch, und zeigst Dich als ein Held:  
Dir, der Du schon im Streifen wohl geübet,  
Läßt man gar willig das erfochtene Feld.  
Du triumphirest, Dich schmücken Palmen die nicht sterben  
Die Zierde derendie sich ewigen Ruhm erwerben.  
Und dich von ungeschminckter Freundschaft sanft durchdrungen.  
Ich sehe Dich, Freund! und fühle seltene Lust,  
Da Du beglücket der Ehre Palmen heut errungen:  
Doch rasch durchbohret mir ein Schwert die Brust  
Ach Freund! Du sacest zugleich, bald werd ich scheiden müssen,  
Und denn zerfließt mein Herz in Deinen Abschieds-Küssen.  
Es ruft ein unerbittlich Schicksal Dich zurücke:  
Drum ziehe nach Mannsgränzen glücklich hin:  
Doch alsdenn dencke noch bey Deinem günstigen Glücke  
An mich, der ich Dir niets ergeben bin:  
Nur das vermag die Freundschaft noch zu schreiben,  
Der Himmel lasse Dich niets hoch beglücket bleiben.

Mit diesen Zeilen wolte Ew. Hochwohlgeb. die unversälzte Meinung seiner Freundschaft zu erkennen geben, und sich zu geneigtem Andencken empfehlen

A. G. F. B. von Borschitau  
D. B. R. B.

**Q**uod fidei egregium specimen, non territus, edas  
Plodasque ingenii nobilioris opes;  
Quod Cathedram Scandas, divino Præside fultus,  
Te fidum præstes, Zoilus ipse stupet.  
Sed stupeant, quicunque velint, livore tumescant,  
Te beat ipsa fides, Te probat ipsa fides.

Non



Non igitur trepida, generoso pectore certes,  
Nostra Gerana Themis pramia digna feret.  
Gloria eris Petro, Victori gloria, Clero  
Exemplum, Agnatis Splendor honorque tuis.  
Ex animo hæc grator, Tua cœpta secundet jova  
Et precor ut Servi sis memor usque Tui.

Hæc in observantia suæ tesseram reliquis vo-  
tis apponere voluit fidus & perpetuus servus

JOANNES THEODORVS BVDDEN LL. E.

Je n'ai pas eu besoin,  
Ni de mon Cetele, ni de mon Microscope,  
Pour connoitre le point  
Et fixer mon dessein & ne dire pas trop  
Très Cher & très honorè Baron  
Permettez que je fasse un' Aplication  
d'un Ami à l'autre.  
Pour parler dignement  
De ton Esprit & de ton jugement,  
Il me faudroit, sans modestie,  
Plus de jugement & d'esprit,  
Que jamais dans aucun écrit  
On en ait fait Voir dans la Vie.  
Ce sont les sentimens

Mon très cher & très honorè Chanoin  
de V. t. H. S.

P. BERNHARD GRANT  
Profess. de la Phil.

Carole! quid video? in Themidis descendis arenam?  
Et doctas palmas falx tua sacra metit?  
Verùm, cur dubitem promittere laurea dona,  
Cum FORTVNATI nomen & omen habes?  
VICTORIS gremio felix Athleta soveris,  
Et PETRI claves dextera dextra gerit.  
Fallor, non Petrus, verum sapientia clavim,  
Ad nostræ Themidis serinia sacra dedit.  
Applaudunt omnes, admiranturque triumphos,  
Solutus ego doleo, nunc quia Victor abis;  
Et quis non doleat pretiosum perdere Amicum,  
Quem prius adductum, primus amavit honos.

Haud



Haud tamen invideo ad patrios remeare penates  
Nec non gaudentis vota videre Domus:  
Ito! ne timeas incommoda prima viarum,  
Nam nunc purpureis est via strata rosis.  
Ito! complaudens Curret gens obvia palmis,  
Et canet Heroi Carmina læta suo.  
Jam video, quanto navalis pondere preffus  
Pons gemat, & quafio litore arena cadat.  
Ito! nunc studii fructurus fructibus almis,  
Unum te, servi, quafio momento tui

P. ERHARDI GRANT  
Ord. S. Ben. Phil. Prof. Publ. Ord.

Che giova all' Uom vantar per anni e lustri  
Degl' Avi generosi il fangue e'l merto,  
E in Lung' ordine e certo  
Mostrar sculti ò dipinti i volti illustri,  
Se'l Nobile e Plebejo con egual forte  
Approda ai liti dell' oscura morte?  
Sola Virtù del Tempo invido a Scherno  
Toglie l'Uom dal sepolcro e'l serua in vita  
Con memoria gradita,  
Vive del grande Alcide il nome eterno  
Non già perche figliuol fosse di Giove,  
mà per mille ch'egli fere illustri prove.  
Gran Fortunato sei dagl' Illustri Avi,  
E la nascita sola Ti fa gran Onore.  
e T'apparechia splendore,  
La dignità spande già volti sì gravi,  
ma Tua Virtù che Ti tutto indora  
Fà'ch'il mondo sorpreso T'oggi adora.  
Le palme e lauri che tuoa man Colse,  
Son Segni di Tuoa mirabil prudenza,  
E d'acquistata scienza,  
La quale le leggi e gl'arcani risolse  
E fanno Ti degno del manto & ostro,  
E alzeranno ben presto Sul Erto e rostro.  
Ti servano Eroo al Ghera immortale  
E ben adoreranno il Tu gran nome  
Con auree chime,  
Che splendono più che'l lume natale.

A-



Astrea dipinse i questi gran lumi,  
che tolse da Tuoi facondi fiumi.  
Applaudo i Trionfi con Tutto'l Rheno,  
Che l'aspetta e Conta favori  
Nei sublimi Onori,  
Che T'offerisce con volto sereno.  
Mentre Ti prego nè Scordi'l Servidore  
Che resta all' Ombra da Tutto'l Cuore

Umilissimo ed affezionatissimo

Fr. GIORDANO SIMONE AGOSTINIANO.

**S**i quando raram versicoloribus  
Produxit orbi pictor imaginem,  
Deferre laudes has solemus:  
O celebrem mihi penicillum!  
Sic est: imago talis & hodie  
Miranda prodir, dum canones sacros  
Cum jure civili figurat  
Peniculus Liberi Baronis.  
Et quam decorè, quamque celebriter  
Utrumque pingit! cunctus id æmulus  
Lubens fateatur, penicillum hunc  
Esse per extimii magistri;  
Proinde dignum, quem memorabiles  
In raritates aula recollocet,  
Nâ Petrus aut Victor beatus  
Ad Sacrius revocaret illum.  
Sed perge tantum, perge Moguntiam,  
Parique pennâ pingito imagines  
Status Tuimet clericalis.  
Quas proceres Mogoni stupefiant:  
Hæc vota fundens servus ad omnia  
Sibi supremis ducet honoribus  
Delineatum nâ graveris  
Se tenero retinere corde,

P. PLACIDVS JORDANS

Ord. S. Bened. SS. Th. D.

Qua-



Qualis astrorum redimta flammis  
Luna splendet, tua sic amœnis  
Plurimis virtus decorata donis

Eyibrat ignes.

Vivus hic mentis micat ardor, illic  
Oris effulget niveûsque cordis  
Candor, & trinâ Charitum coruscant

Numina luce.

Fulgebis ergò patriis in oris:  
Sed diè tristi sine nube clarus  
Fulgeas opto, & mihi sic voventi

Perge favere

H. K. P. E.

---

Magnos magna decent, Jurisprudencia magnum  
Te facit, ut cingat laurea sacra caput;  
Major eris, majora Tibi debentur ab alto  
Præmia pro studiis. Vive, valeque fave!

ita

Per. Illustri Domino L. Baroni gratulatur,  
& precatur

Mr ISIDORVS KEPPLER

Auguffinian. p. t. Facult. Theol. Decanus & ad  
S. Wippertum Prior.

---

Festiva nulli carmina condunt  
Sacræ Camœnz, qui sine cladibus  
Sperat triumphum; namque laurus  
(Hoste prius domito) paratur.

Virtute avita & sanguine martio  
De Jure tentas proelia publica  
(Spectante Divorum corona)  
Herculeos meditaris ausus.

Gerana tantis æqua laboribus  
Vernante Majo, præmia præparat;  
In Cœlio Doffor Creatus,  
Ad Mogonam remeabis urbem.

Sed



Sed vetus albus in capitulum \*  
Petri Caballis, sis Bonifacii  
Memor tui; nos ambo firmus  
Tu Pylades, Ego vero Orestes!

\* Alluditur ad venerabile  
capitulum inclite Ec-  
clesiæ Collegiæ ad S.  
Petrum Moguntie

Ita  
Plurimum Reverendo ac Perillustri Domino de-  
fendenti fausta quaque precatur

P. BONIFACIUS LESLIE

Ord S. Bened. SS. Theol D. & P. Monach. Scot. Prior.

**T**e magno meritum calamus macaret honore,  
Suggereret calamo si modo laudis amor.  
Non tu laudis egres, nec te mea Musa celebrat:  
Sed te docta facis cingit honore Themis.  
Ergo promeritum Themidos captato brabeum:  
Et quod penna nequit suppleat alma Themis.  
Ut lumen Juris vivas, ceu lumine claro,  
Illustra gentes quod tibi corde precor.

Ita animatus gratulatur

L. D. L. S. O.

**D**ans mon petit jardin proche de ma voliere  
Je lisois tes theses: en vain je cherchois des mots  
Pour te faire des rimes tout d'un coup  
N'en cherche plus, vois moi dit un Oiseau:  
Il dit & s'envola chantant Vive le nouveau docteur.  
par ces deux mots se recomende

Votre Valet très humble

L. M.

**H**ochwohlgebohrner Freund und Gönner!  
Der Wissenschaften ächter Kenner  
Dich überhäuffet Ruhm und Preis  
Bey nie genug gepriesenen Fleiß.  
Du hast der Tugend Dich ergeben,  
Du liebst Gelehrsamkeit darneben  
Dum ist's auch gar wohl ausgedacht,  
Daß man Dich heut zum Doctor macht.  
Also, Hochwohlgebohrner Gönner!  
Wünschet Glück Jago und Jerner

G. H. Werner

Hochfürstl. Sondershäuser Medailleur  
Acad. Med., Mog. Scient. Util. Mathem. & Chalcographus.



ULB Halle

3


005 355 710











DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA

DE  
**MATERIA FIDEI**  
IN  
**IURE OBVENIENTE**

QVAM  
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO  
PERILLVSTRI DOMINO

**JOANNE ARNOLDO**  
**DE BELLMONT**

ICTO, EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIO RE-  
GIMINIS ERFORDIENSIS, IVRIS PVBLICI ET PHILOSOPHIAE PRACTICAE PRO-  
FESSORE PVBLICO ORDINARIO, BIBLIOTHECAE VNIVERSITATIS BOINE-  
BVRGICAE DIRECTORE, ET CIVITATIS CONSVLE  
SENIORE

IN PERANTIQVA ELECTORALI GERANA  
DECRETO ET AVCTORITATE  
AMPLISSIMAE FACVLTATIS IVRIDICAE  
PRAESIDE DIVINO NVMINE  
PRO GRADV DOCTORALI  
IN VTROQVE IURE CONSEQVENDO

PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR ET RESPONDENS  
**JO. BAPT. L. B. DE BENTZEL**

INSIGNIVM ECCLESIAE COLLEGIATARVM SS PETRI ET  
VICTORIS CANONICVS  
IN AVDITORIO IVRIDICO MAIORI  
DIE XXVIII. MAJI M DCC LVI.  
HORIS CONSVETIS.

ERFORDIAE, Litteris HERINGIANIS, ACAD. TYPOGR.